

1522

cupient. Helvetiorum duodecim millia regia stipendia merent, qui ad xvj. kal. julii in Insubribus esse constituerant; sed ob varias difficultates re ad publica concilia delata, ut omnes moras abrumperet, trimestre illis stipendium Rex obtulit. His coactis viribus, non modo hostes superaturum; verum etiam aliquid Gallico, ac Veneto dignum nomine editurum sperat, idque in primis, si vestris conjunctis copiis, socia arma in hostes versa fuerint. Interea dum exercitus cogantur, dum copiae in Italia lustrentur, ac omnia ad bellum necessaria expediantur, an Cremona restituenda, vel potius ex pactione a Scudo inita Caesareanis tradenda sit, exquirat; neque veretur, ne consulta Veneti Senatus ejusmodi sint, quae a praestantissimis viris, atque in maximis gerendis rebus versatis manare, atque expectari solent.

*Senatus ad
Sanciam re-
sponso.*

In Senatu re agitata, ita responsum est: Summam semper in Republica erga amplissimum Galliae regnum, Regemque omnibus regiis virtutibus ornatum benevolentiam, atque observantiam extitisse, cujus eximiam voluntatem perspectam saepius, ac cognitam intimo animi affectu perpetuo prosequeretur: prospera illi, feliciaque cuncta non optasse modo; verum omni opera, & studio diligenter curasse: id in votis semper habuisse, ut Insubres in Galliarum potentissimi Regis imperio essent; ut bellum majoribus viribus redintegretur, nihil praetermittendum censere. Ceterum hoc tempore vehementer commoveri, quod Helvetii, quorum magnum in bellis nomen, summa apud omnes existimatio sit, moras neccendo, opportune adesse non possint: id si contingat, quisnam rerum exitus futurus sit, cum restituende Caesareanis Cremonae tempus prope adsit, in incerto esse: quapropter e re communi Senatum arbitrari, a Thoma Cardinali Eboracensi Henrici Angliae regis nomine oblatas in biennium inducias amplecti oportere, ut interea reparatis viribus, communi consilio, majoribus copiis, certiori spe bellum renovari, & administrari queat. Verum improperi Genuae successus Gallorum in Italia rebus incredibilem jacturam attulere, omnique sublevandae fortunae spe Regem deturbarunt; qui licet novos delectus habuisset, magnam militum, ac bellicarum machinarum copiam parasset, sui que opem ferre, praeteritaeque clades corrigere ingenti spiritu conaretur; Genuae amissio-

ne